



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

Continet Tractatus De Conscientia, De Peccatis, De Legibus, De Fide, Spe,
Et Charitate

Castro Palao, Fernando de

Lugduni, 1669

§. 2. De obligatione hæretici dicendi verum, cum à iudicibus fidei
interrogatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76540](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76540)

Contingit sepe hæresim quem fateri, & postea reuocati confessionem factam. Dubium ergo est, an possit à iudicibus fidei hic reus condemnari? Et quidem si confessionem non reuocet, elatum est, ex illa condemnari posse; quia nulla aliorum probatio huius delicti esse potest, quam illa, quæ ex proprio delinquentis ore habetur ad text. in c. vestra. cap. in de elicitate. clericorum. & mulier. c. i. i. c. de confessis, l. qui habitant. C. de panis. Et licet in aliis delictis sola confessio, cum de corpore delicti non constat, insufficientis videatur ad condemnandum l. 3. §. item illud ff. ad senatusconsult. Syllanian. ubi Bart. & Bald. in aurb. sed nouo iure. C. de seruis fugatiuis & de el. in l. i. c. de confessis. At cum hoc crimen interius potius, quam externis perficiatur, nulla de corpore delicti probatio requiritur, sed sola confessione delinquentis probatum esse censetur: ut alii relatis docet Pegna dicitur. 3. p. n. 117. tit. de sen. q. i. v. c. de re. in prin. vers. q. quæquam Simanc. cathol. in l. tit. 13. rub. de confessis, n. 1. Malcard. de probationib. l. 2. c. conclus. §. 9. n. 1. c. segg. fatin. g. 183. n. 73. Martin. del Rio de iur. lib. 5. §. 11. Rojas tr. de hæres. 2. p. n. 55.

Debet tamen hæc confessio specialis esse, scilicet quæ significet hæresim aliquam speciem declarari, aliam insufficientem esse condemnationis. Quapropter si quis solam generaliter dixerit se hæreticum fuisse, nisi hæresim declaret, non sufficit hæc confessio, ut tantquam hæreticus condemnetur, quia forte ex errore procedat, quo existimat hæresim, quæ verè hæresis non est. Valeret autem si diceret se Lutheranicum esse, quia tunc iam exprimit erroris, quibus fuit assensus: sic Simanc. cathol. in l. tit. 13. n. 3. c. 4. §. in rubeid. tit. 12. n. 2. Farinac. n. 74. Dec. tr. crim. in l. 4. §. de hæresic. 2. p. n. 268.

Quod si confessionem factam reuocet, distinguendum est si illam reuocet incontinenti, & in præsentia iudicis, ex illa condemnari non potest, quia credendum est ex lapsu lingue, vel ex metu, aut timore, vel ex alia causa extrinseca factam fuisse: sic Rojas trad. de hæres. 2. p. n. 260. & multis allegatis docet Farin. g. 81. ubi de reo confesso, & conuicto n. 348. Si autem iam fuit à iudice, vel à fiscalibus accepta, tunc si reuocet, errore probato, valida est reuocatio; neque ex prima confessione condemnari potest: sic Simanc. tit. 13. n. 1. c. 14. Farin. de hæresi g. 183. n. 75. c. 9. §. 1. ubi de reo confesso, & conuicto agit. Debet autem non solum errorem probare, sed probare causam quare fecerit. Hoc autem sufficeret probatur, si probet metum vel à iudice, vel ab alio extrinseco illatum. Item si multum tempus præcessit, in quo obliuio præsumi potest: sic multos refertens Farin. d. g. 81. n. 344.

Quod si reuocatio neque in continenti fit, neque errore probato, adhuc existimat Didac. Canera quæst. criminal. rub. de hæresic. cap. 1. n. 70. efficacem esse ad infirmendam primam confessionem, ita ut ex illa non possit reus curiæ seculari tradi; nisi forte constaret ex malitia reuocationem factam esse: quia prima confessio cætenus efficax est ad sic confessionem condemnandum, quatenus in suo robore, & firmitate persistit. At ex reuocatione facta minuitur eius firmitas, cum tota firmitas confessionis ex approbatione consistentis provenit. Ergo tota eius firmitas destruitur ex eiusdem reprobatione. Caterum hæc sententia nulla ratione sustentenda est, sed omnino dicendum cum Farinac. g. 183. n. 75. nullius valoris esse reuocationem confessionis, si non facta errore non probato; sed illa reuocatio non obstat potest, & debere sic confisum curiæ seculari tradi tantquam impenitentem, si vel ipsam confessionem factam non approbat, & criminis penitentiam expostulat, vel errorem in præcedenti confessione commissum non ostendit. Et ratio est manifestis, quia prima ipsa confessio semper firma persistit, quoties error in ea commissus non ostenditur; quia nullus præsumitur contra se dicere testimonium falsum, eaque de causa qui reuocet errorem non probato, neque causa allegata erroris ad eundem non est. Aliis nullus hæreticus confessus damnari potest, cum omnino ante damnationem reuocare confessionem possent: sic tradit loquens in genere de cuiuslibet delicti confessione Paris de Puteo de iudicatio. verbis tortus, c. 8. n. 1. vers. nisi confessionem reuocet. Canter. præf. in l. tract. de appellationibus verius casus, n. 23. ad fin. c. in 3. tract. de homicid. p. 11. excusat. c. n. 24. Monticel. in l. 10. n. 7. vers. quod verum Franc. Person. de iudiciis, c. 7. vers. post sum. §. 1. quos refert & sequitur Farinac g. 81. n. 344. & faciunt omnia, quæ adducit toto illo cap. 9.

§. II.

De obligatione hæretici dicendi verum, cum à iudicibus fidei interrogatur.

- 1 Obligatus es fateri veritatem, si legitime interrogaris.
2 Si testibus confessibus conuictus es, & ob hanc causam mors damnaris, teneris crimen fateri, esto ex tali confessione mortem non evites.
3 Crimen tibi falsò impositum possis ne fateri ad euitandam mortem examinatur. & decisio Doctoribus remittitur.
4 An ob vitia grauiora tormeta possis crimè tibi falsò impositum fateri. de Caitro Sum. Moris. Paris l.

fateri. Proponitur dubitandi ratio.
5 Approbatur unico casu excepto.

Efficere potest reus in veritate, vel negado crimen commissum, vel sibi falsum imponendo, & de utroque est dicendum. Primò dubitatur, an hæresim probatam testibus teneris fateri? Non est dubium te obligatum esse illum fateri, si verè commisisi, iudice legitime interrogante: quia si in aliis delictis hæc obligatio inest, à fortiori cumine hæresis. Solum videris excusatus in casu quo ex confessione pena mortis tibi esset imponenda, & negando delictum hanc penam euitares, tunc si doleas de peccato, & tibi iuppeter alia via impetrandi absolutionem ab incuria excommunicatione, probabilitate non videret carere te posse in respondendo amphibologia vt; ut bene probat Lessius lib. 2. de iustitia cap. 31. dub. 3. num. 16. secunda editione quæ omnia latius examinabimus in tractatu de iudice, teste, & reo.

At si testibus confessibus conuictus es, & ob hanc rationem tanquam negatus damnaris, credo te obligatum esse sub mortali crimine fateri publicè, neque posse alia via à peccatis absolui: sic docuit Thomas Sanchez lib. 3. in De calog. cap. 7. num. 11. sine, vers. hinc exspiciendus. Ratio est, quia media illa confessione euitare potes mortem tibi imminentem, quam euitare teneris si commode potes, quia non es dominus vitæ, & dato quod euitare non posses, eo quod sis relapsus, vel quia non præsumeris ex vero corde conuerti, cum ita tardè ad penitentiam accesseris: at euitas ne ælimeris impetrens & pertinax decedere è vita; ad quam existimationem grauissimum fundamentum præbes. Teneris ergo hoc scandalum euitare. Neque obstat te in aliis delictis obligatum non esse post condemnationem confiteri delictum prius negatum, quia ex illorum negatione non causas scandalum, sicuti causas in negatione hæresis, neque testibus iudici, aut alteri tertio damnum inferes, ut late expendit Sanchez loco allegato supra.

Secundò dubitatur, an si falsis testibus conuictus sis, & ob eam causam damnaris, possis ad euitandam mortem confiteri crimen tibi falsò impositum? Negat Pegna tertia parte de rebori, num. 210. commentario 48. vers. quæ obrem. Sotus libro 4. de iustitia, c. iure, quæstione 2. articulo 3. conclusione 4. Covarruuias libro 1. variorum, capite 2. numero 8. Monet utum quia si crimen fateris non commissum, mentiris: mendacium autem illicitum semper est, & in materia graui mortale peccatum. Ergo. Tum quia licet pro tuendo honore possis diuitias effundere, & pro tuenda vita honorem, vt potest inferioris ordinis. Hoc autem intelligitur, quando honorem, & diuitias proprias effundis. Secus verò si honor, & diuitiæ alienæ sint. At qui crimen hæresis sibi imponit, non solum eius honorem, & famam lædit, sed etiam filiorum, & nepotum, & consanguineorum. Ergo ex hac parte à criminis confessionis impeditur.

Verum hæ rationes non videntur convincere. Non prima, quia fateri optime potes crimen rō commissum absque mendacio, si subintelligas te commississe non verè, sed præsumptiue, & aliorum æstimatione. Non secunda, quia ex confessione criminis non infamas filios, & consanguineos, imò potius minus infamiam, quæ ex condemnatione ob probationem testium illis provenire debet. Nam si condemnaris vt negatiuus, filij, & nepotes ab officijs, & beneficiis manent exclusi: secus verò, si facta confessione ad penitentiam recipis. Ergo illa confessio potius utilitatem, quam dampnum offert. Deinde si mortis negatiuus, omnes præsumunt te impenitentem, & hæreticum morti, ac proinde scandalum omnibus es. facta autem confessione & ad penitentiam receptus hoc scandalum reparas, & omnino tollis. Ergo poteris fateri crimen. Adde, quilibet tenetur suam vitam conseruare, quando commode potest, sed fatendo crimen sic probatum conseruas vitam, quam negando crimen, omnino perdis, & ex tali confessione, vt probatum est, nullum tibi, neque consanguineis dampnum accrescit. Ergo non solum potes crimen sic probatum fateri, sed videris teneri, Propter hæc salua pace tantorum virotum reputarem securè & probabiliter posse impositum crimen admittere, & pro illo penitentiam expostulare. Decisionem tamen remitto iudicio Ecclesiæ, & Doctorum.

Tertiò dubitatur, an ob vitanda grauiora tormeta, possis hæresim non commissam, at semiplenè probatam fateri, & misericordiam expostulare?

Ratio dubitandi est, quia ob hanc causam potes tibi crimen homicidij, aut furi imponere, etiam si inde mortis sis damnandus, quia cum tanto dolore, & labore non teneris vitam, & honorem conseruare. Sicuti non teneris scilicetionem membrorum pati, vt vitam conserues. Neque illud est te ipsum occidere, sed potius ab vna continua, & molesta occisione liberare. Iudici autem, & testibus non facis iniuriam, cum ipsi intentum habeant, si crimen fateris. Ergo nulla superest ratio, ob quam sit illicitum, & ita cum Toledo, Augustino, & Syluest. docet Lessius lib. 2. c. 11. dub. 7. num. 41. Ergo idem est dicendum in crimine hæresis, præcipue cum ex eius confessione, sic ex animo, & corde fiat, non mors, sed vita conceditur. Quod si dicas illicitam esse hanc confessionem, tum ob infamiam, quæ consanguineis accrescit,

DE STRALATON.

accrescit, tum ob scandalum, quod præbes te delinquentem efficiendo, facile responderi potest. Quia sæpe infamia, quæ aliis accrescit, non est tantæ considerationis, ac sunt tormenta, & dolores, quos negans sustinere debes: ideoque pensanda sunt, & prudentis arbitrio ponderanda, ut dicit Lessius *suprà num. 50.* Adde tibi imponendo falsum crimen non videris directè confanguineos infamare, & ius illorum lædere; aliàs eum ipsismet crimen committeres, contra iustitiam debitam honori confanguineorum peccares, & in confessione manifestare deberes, quos haberes confanguineos, ut sic plene iniustitia facta cognoscatur, quod est inauditum. Non ergo peccas contra ius debitum confanguineis, fatendo crimen falsum, sed ad summum peccas aduersus charitatem tibi, & illis debitam. At hæc charitas, in iustitia non videtur cum tam graui damno, & dolore obligare, sicuti non obligat proprio honori ergo neque alieno. Scandalum autem ex huiusmodi confessione non videtur sequi: tum quia multi censere possunt te falsum esse delictum, non quia commisit, sed quia tormenta timuisti. Tum etiam quia si ex confessione delicti aliquod scandalum sequitur, & occasio præbetur aliis id ipsum committendi, penitentia, & dolore illius sufficiens reparatur. Ergo ex nullo capite hoc esse illicitum apparet.

5. Fator hanc rationem dubitandi efficacem esse, ac proinde censuræ repositæ sic reputatum delinquentem crimen tibi falsò impositum approbare ob grauiissima, & penè insuperabilia tormenta vitanda. Debes tamen in approbatione vitare mendacium amphibologia vitans. Solum autem hoc limitandum censuræ, si nobilis multò sis, familiamque habes nobilissimam, & de republica benemeritum: tunc enim debes atrocissima sustinere tormenta, ne falsò crimine tibi imposito familiam macules, quia bonum commune reipublicæ etiam cum vite dispendio conferuere, & illarum custodire reueris, sic colligitur hæc doctrina ex Lessio *lib. 2. c. 11. dub. 7. in fin. n. 50.*

§. III.

De hæretico absente contumace.

1. Quæ ratio citandæ est.
2. Ad huius defensionem admittitur excusator.
3. Quæ bona huius absentis sequestrantur.
4. Reus mortuus intra annum, neque eius delictum plene probatum, sicut in iudicio, neque vltorius ad condemnationem procedit.

1. **C**um aduersus absentem proceditur, si delictum plene probatum non est, citatur publicè in Ecclesia, ut intra 30. dies compareat sub pena excommunicationis latæ sententiæ: quæ citatio tribus vicibus fit in qua idem tempus assignatur, & in qualibet illarum denuo accusatur eius contumacia, quo termino transacto declaratur reus in excommunicationem incidisse, & annus incogit speratur, an compareat: quo non comparente, tanquam hæreticus contumax damnatur, cuique effigies, seu statua curiæ seculari comburenda traditur, & bona sisco applicantur ad die restitutionis, secundum *Farinacium quæst. 197. §. 12. num. 2.* Quod si delictum absentis contumacis plene probatum sit, non speratur annus ad eius condemnationem: ut bene dixit *Simanca in enchiridionum, tit. 46. num. 5.* sed accusata eius contumacia in tribuiali ad sententiam publicam proceditur.

2. Ad huius defensionem admittitur excusator allegans reus sic citatum non posse intra terminum signatum comparere, & pro qualitate excusationum solet prorogari terminus ad comparandum. Et sic in quadam causa, in Compostellana inquisitione anno 1619 fuit ex decreto supremi Senatûs prorogatus terminus quatuor mensium.

3. Bona horum absentium in tertium possessorem translata licet de rigore iuris sequestrari non debeant, si tamen paulò ante citationem fuga præcessit, probarique facile possunt, quæ bona sint, sequestrari debent: sic responsum fuit à supremo Senatu inquisitionis, Inquisitoribus Gallitiæ anno 1620. At si fugit reus tempore quo captura exequenda erat, sequestrantur bona pro derelicto habita, vel que in potestate vxoris, & filiorum reperiuntur. Quod si hæc discerni non possunt, sequestrantur omnia, quæ in eius domo reperiuntur, quia omnia illa esse fugitiui præsumuntur.

4. Si reus contumax moriatur intra annum, & eius delictum plene, & concludenter probatum non est, sed contra illum, tanquam contra suspectum procedebatur; tunc sistendum est, neque vltorius ad condemnationem deueniendum, nisi superueniant claræ, & legitime probationes *Farinac. q. 197. n. 103.* Si autem transacto anno contumaciæ obierit, communior sententia est condemnari posse, ut in *paragraphe sequenti* dicemus.

§. IV.

De hæretico defuncto, qua ratione aduersus illum procedi possit.

1. Morte non extinguitur hoc crimen.
2. Vi defunctus hæreticus damnatur, debent adesse clara & dilucida probationes.
3. Quæ sint huius clara probationes.
4. Pendente processu, si moriatur reus, memoria non damnatur, nisi adsint clara probationes.
5. Si in excommunicatione ob causam fidei per annum inderdesit, peniri potest.
6. Aduersus fautores hæreticorum non proceditur post mortem.
7. Ad condemnationem defuncti hæretici, citari debent filij & heredes.
8. Non tenentur hi comparere per se, sufficit si per procuratorem.
9. Quilibet volens defendere defunctum hæreticum admittitur.
10. Facto processu reus absolueris, vel condemnandus, neque causam haberi potest in pendenti.
11. Possumus procedi aduersus hæreticum defunctum, tamen si dilucidò non sit eius hæresis probata: Affirmatiuè, respondetur.
12. Dum causa agitur, bona non sunt sequestranda à iuribus possessoribus.
13. Firmato processu, & hæresis plene probata damnandus est, & eius bona sisco applicanda.
14. Si tamen non probatur delictum, neque speratur vni probandum absolueris, & reus.
15. Si hæreticus penitentiam in extremis expetierit, nunquam est damnandus.
16. Quo tempore prescribatur, ne contra defunctum procedi possit: Probabilissimè quadrennio prescribitur.

1. **D**icendum est primò etiam omnia crimina committentis morte extinguntur. I. defuncto ff. de publicis iudiciis, l. prima, cum aliis C. si reus, vel accusator mortuus fuerit l. pupillum. §. in heredem ff. de reg. iur. l. ex iudiciorum in fine ff. de accusationib. l. prima, C. ne ex delicto defunctorum, & aliis non tamen extinguitur hoc crimen, sicut nec criminis lætæ maiestatis humane ex l. vlt. C. ad leg. iul. maiest. & est text. expellendus in l. Magnichas. §. 2. vers. in mortem. C. de hæretici, ibi in mortem quoque inquisito extendatur, nam si in criminibus maiestatis licet memoriæ accusare defuncti, non immeritò & hæc debet subire tale iudicium. Idem habetur clarè in cap. accusatus paragrafo in eo verbo, de hæreticis in 6. & cap. si quis Episcopus eodem tit. de hæretic. cap. fin. 2. q. 3. cap. filij, de hæreticis in 6. & aliis pluribus, quæ congerit *Farinac. q. 10. num. 36.*

2. Dico secundò, ut hæreticus defunctus damnatur requiruntur claræ, & dilucide probationes in hæresi decessisse: enim viuens damnari non potest, nisi legitime confessus, vel conuictus à fortiori nec defunctus, qui iure le defendendi caret. Dico damnari non posse ut hæreticum: at bene ut de hæresi suspectum Respondendo nulla ratione id sustinere posse, quia solum in supradictis textibus conceditur aduersus hæreticum condemnationi, non aduersus hæresis suspectum: & infamatum: quod constat, quia ad confiscationem bonorum proceditur: ex dicto cap. accusatus, quæ confiscatio suspecto de hæresi conuicere non potest. Item quia suspiciones hæresis morte delinquentis extinguntur ex dicto cap. accusatus, §. si verò & ita tenet *Simanca. cathol. instit. tit. 18. rubr. de defunctis, num. 73. & tit. 46. rubr. de par. n. 77. & in enchiridionum, tit. 62. rubr. de mortuis n. 6. Farinac. q. 197. num. 103. Pegna 3. direct. com. 92. vers. & ratio quidem Vindict. Locat. in iudic. inquisit. verbo cadavera num. 1. sine verbo filij num. 13. & verbo defunctus vers. secundo, in fin.*

3. Hæresis autem plene, & sufficienter probatur, si illam viuens confessus nec penituit; quia tunc tanquam peritæ, qui noluit Ecclesiæ reconciliari, condemnandus est. Ad huius probationem reducitur, si in carcere existens scilicet intermit; quia illa est quedam criminis confessio: credendum est enim ex conscientia criminis se interfecisse, neque voluisse de illo penitere: sic *Guid. salu. tract. de hæret. quæst. 2. n. 1. in fin. vers. emittitur autem. Pegna 3. p. com. 42. vers. quod ipsum in eo & vers. de illo qui in carcere. Farinacius quæst. 197. num. 90. Simanca tit. 18. cathol. instit. num. 31.* Secundo probatur testibus, qui debent esse omni exceptione maioris, aliis plene, & concludenter non probantur.

4. Hinc fit si pendente processu mortuus fuerit inquisitus, eius memoria damnari non potest, nisi aliunde plene, & concludenter hæresis probata fuerit, tum quia infamatus de hæresi, hæreticus non est, tum quia copio hæres de fureti sententia innocentiam probasse, dum malitia defuncti plene probata non est sic ex *Simanca, Deciano, & aliis notat Farinacius quæst. 197. num. 99.*

§. Dubium